



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

5 Vtrum Deus reparare possit idem numero quod in nihilum est redactum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

sic supremum caelum secundum quod empyreū dicitur, sit totum splendidum: secundum aut quod aquem, sit totum diaphanum, tertium autem caelum quod dicitur syderem, sit partim lucidum, partim diaphanum. Sic ergo secundum quamcūque opinionem potest veritas sacra scriptura saluari diuersimode. Vnde non est coartandus sensus sacre scripturae ad aliquid horum.

Ad PRIMVM ergo dicendum, quod homo assimilatur maiori mundo quantum ad aliquid, in quantum constat ex corporali, & spiritali natura, sicut & totum uniuersum, non tamen quantum ad omnia assimilatur minori. Ordo enim partium in homine non est secundum quod exigit eorum natura, sed prout exigit ratio finis. Ponitur n. cor in medio, ut ex eo diffundantur operationes uitae de facili per totum corpus. Cerebrum autem ponitur in supremo, ut operationes animales quae ibi quodammodo perficiuntur, non impediatur per diuersas corporis transmutationes: sicut etiam ordo cognitionis humanae non est secundum ordinem naturalem cognoscibilem, sed quo ad nos. Augustinus autē non inducit hoc asserendo, sed obuiando his qui scripturam praue interpretantur.

QV. AESTIO III.

DEINDE considerandum est de his, ad quae diuina potentia se extendere potest.

Primo, Vtrum Deus possit aliquid in nihilum redigere.

Secundo, Si aliquid esset in nihilum redactum, vtrum Deus possit illud reparare eodem numero.

ARTICVLVS III.

Vtrum Deus possit aliquid in nihilum redigere.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur, quod Deus possit aliquid in nihilum redigere. Aequalis enim est distantia non entis ad ens, & entis ad non ens: sed Deus potest ex nihilo aliquid facere, ergo Deus potest ex aliquo facere nihil.

SED CONTRA. Deus non potest esse causa defectiua: sed causa qua facit tendere in non esse, est causa defectiua, ergo Deus non potest redigere aliquid in nihilum.

RESPON. Dicendum, quod de potentia Dei dupliciter loqui possumus. Vno modo, absolute considerando eius potentiam. Alio modo, considerando ipsam in ordine ad sapientiam, uel praesentiam suam. Loquendo ergo absolute de Dei potentia, sic Deus potest uniuersam creaturam redigere in nihilum, cuius ratio est, quia creatura non solum producit in esse Deo agente, sed et per actionem Dei conseruatur in esse, secundum illud ad Hebr. 1. Potens omnia uerbo uirtutis suae. Vnde Aug. dicit 4. super Genes. ad litteram, quod uirtus Dei si aliquando ab eis, quae creata sunt, regendis cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret. Si autem Deus propria uoluntate agit, & non ex necessitate nature ad rerum productionem, ita etiam ad earum conseruationem, & ideo potest subtrahere suam actionem a rebus conseruandis, & hoc ipso omnia in nihilum deciderent. Si uero loquamur de potentia Dei in ordine ad eius sapientiam & praesentiam, sic non potest fieri quod res in nihilum redigatur, quia non ha-

bet hoc diuina sapientia. Creauit n. Deus ut essent omnia, ut dicitur Sapi. non ut in nihilum cederent. Ad PRIMVM ergo, concedimus secundum quod procedit de potentia absoluta.

AD SECVNDVM dicendum, quod causa defectus alicuius potest esse aliquid dupliciter. Vno modo, ex propria intentione, sicut cum aliquid subtrahendo lumen causat tenebras, & hoc modo non oportet quod sit causa defectiua illud quod causat defectum. Sic autem Deus potest esse alicuius defectus causa, uel excecationis, uel obdurationis, uel etiam annihilationis, si uellet. Alio modo, aliquid potest esse causa defectus praeter intentionem, & sic semper oportet quod causa defectus sit defectiua, quia ex defectu agentis contingit quod non inducat perfectionem in suo effectu, & sic Deus nullo modo potest esse causa defectus, uel tendendi in non esse.

ARTICVLVS V.

Vtrum Deus reparare possit eodem numero, quod in nihilum est redactum.

IRCA secundum sic proceditur. Vt quod Deus non possit id quod in nihilum redactum est, eodem numero reparare. Dicit enim Philo. in 2. de generatione, quod ea, quorum substantia corrumpitur, non reuerantur eadem numero: sed eorum quae in nihilum rediguntur, substantia corrumpitur, ergo eadem numero iterari non possunt.

SED CONTRA est, quod Aug. dicit 4. de ciu. Dei, Si caro humana omnibus perisset modis, nec ulla eius materies in vllis latebris remansisset, vnde si uellet, eam repararet omnipotens: sed nulla materia remanente de corrupta, quod corrumpitur, in nihilum redigitur, ergo Deus id quod in nihilum est redactum, potest eodem numero reparare.

PRET. Differentia est causa numeri, sicut Damasc. dicit, sed nihilum non facit aliquam differentiam, quia non entis non sunt species & differentiae secundum Philo. ergo id quod reparatur a Deo, potest esse unum & idem numero, quamuis in nihilum fuerit redactum.

RESPON. Dicendum, quod in his quae in nihilum redigi possunt, est quaedam differentia attendenda. Quaedam enim sunt, quorum unitas in sui ratione habet durationis continuitatem, sicut patet in motu & tempore: & ideo interruptio talium indirecte contrariatur unitati eorum secundum numerum. Ea uero quae contradictionem implicant, non continent sub numero Deo possibilem, quia deficiunt a ratione entis: & ideo si huiusmodi in nihilum redigantur, Deus ea non potest eodem numero reparare. Hoc n. esset facere contradictoria simul esse uera, puta, si motus interruptus esset vnus. Alia uero sunt quorum unitas non habet in sui ratione continuitatem durationis, sicut unitas rerum permanentium nisi per accidens, in quantum eorum esse subiectum est motui. Sic enim & mensurantur huius tempore, & eorum esse est vnus & continuus secundum unitatem & continuitatem temporis. Et quia naturale agens non potest ista producere sine motu, dicitur est quod naturale agens non potest huiusmodi reparare eadem numero, si in nihilum redacta fuerint, uel si fuerint secundum substantiam corrupta: sed Deus potest reparare huius & sine motu, quia in eius potestate est quod producat effectus sine causis medijs, & ideo potest eadem numero reparare, etiam si in nihilum elapsa fuerint.

Vnde

1. 1. q. 9. art. 2. ad 2. q. 103. ad 2. q. 103.

D. 796.

D. 413.

Ar. 1. q. 2. ad 2. q. 103. ad 2. q. 103.

In sua leg. 50.

D. 1151.

D. 219.

& 404.

Vnde patet responsio ad primum & secundum. **F** AD SECUNDUM dicendum, quod nihilum non est differentia alicuius entis, si per hoc quod aliquis reducatur in nihilum, interruptur continuatio essendi, que pertinet ad unitatem motus, & eorum que consequuntur ad motum.

QVÆSTIO IIII.

**D**EINDE quaesitum est de personis, que pertinent ad personam filii.

¶ Primo, Quantum ad naturam diuinam.

¶ Secundo, Quantum ad naturam assumptam.

¶ Circa primum quaesita sunt duo.

¶ Primo, Vtrum pater eodem uerbo dicat se, & creaturam.

¶ Secundo, Vtrum filius sua filiatione distinguatur a spiritu sancto.

ARTICVLVS VI.

Vtrum pater eodem uerbo dicat se, & creaturam.

1. p. 9. 34. ar.  
2. ad 3. & a.  
3. o. 9. 19. 2.  
3. 6. ad 3.

**A**D PRIMVM sic proceditur. Videtur quod pater non eodem uerbo dicat se, & creaturam. Dicere enim se soli patri conuenit, ut Aug. dicit 7. de trin. sed dicere creaturam conuenit toti trinitati, ea. n. que important respectum ad creaturam toti trinitati conueniunt, ut pater per Dion. 2. c. de di. ni. nom. ergo pater non eodem uerbo dicit se, & creaturam.

¶ **Præ.** Creatura procedit a Deo per modum uoluntatis, filius autem qui est uerbu quo pater dicit seipsum, procedit a Deo per modum nature, quia ut Hilar. dicit in libro de synodis. Omnibus creaturis substantiam uoluntas Dei attulit: filio autem naturam dedit naturam. ergo non est idem uerbum quo pater dicit seipsum, & quo dicit creaturam.

**SED CONTRA** est, quod Aug. dicit secundo super Gene. ad literam, Quod dixit, & facta sunt. id est uerbum genuit, in quo erat ut fieret creatura: sed uerbum genuit dicens seipsum. ergo idem est uerbum quo dicit seipsum, & quo dicit creaturam.

**R**ESPON. Dicendum, quod sicut August. dicit 15. de trin. uerbum Dei representatur alicualiter per uerbum nostri intellectus, quod nihil est aliud quam quaedam acceptio actualis nostre iustitiae: cum enim id quod scimus actu considerando concipimus, hoc uerbum nostri intellectus est, & hoc est quod uerbo exteriori significamus: sed quia nos non totum id quod habitu scimus, actu mente concipimus, sed de uo intelligibili mouemur ad aliud, in de est quod in nobis non est unum solum uerbum mentale, sed multa, quorum nullum adequat nostram scientiam, sed Deus quicquid scit, actu intelligit: & ideo in mente eius non succedit uerbum uerbo. Et sicut eadem scientia scit se, & omnia alia, ita et eodem uerbo exprimit seipsum, & omnia alia: nec esset eius uerbum perfectum, ut Au. in eodem lib. dicit, si aliqui minus esset in eius uerbo, quam in eius scientia: unde quicquid pater scit, totum unum suo uerbo dicit, & sic necesse est quod idem uerbum sit quo dicit seipsum, & quo dicit creaturam.

**A**D PRIMVM ergo dicendum, quod dicere, si proprie sumatur, est producere uerbum quod soli patri conuenit: & ideo si dicere in diuinis proprie sumatur,

solus pater dicit, quia solus ipse generat uerbu. Hoc enim uerbo exprimitur quicquid tota trinitas scit, quia trium personarum est una scientia, & ex hac ratione uerbum importat respectu ad creaturam in quantum est expressio quaedam scientie, quam pater communiter habet cum aliis personis de creatura.

**A**D SECUNDUM dicendum, quod aliud est uerbum, & id quod dicitur uerbo, hoc. n. uerbo quod est lapis, significatur res que non est uerbum, sed corpus: unde nihil prohibet creaturam procedere a Deo per modum uoluntatis: uerbum autem quod dicitur creatura, per modum nature.

ARTICVLVS VII.

Vtrum filius distinguatur filiatione a spiritu sancto.

**C**IRCA secundum sic proceditur. Videtur quod filius distinguatur filiatione a spiritu sancto. Eodem enim modo aliquis constituitur, & ab alio distinguitur: sed persona filii constituitur filiatione, que proprietas est personalis, id est constituta personam filii. ergo filiatione distinguitur a spiritu sancto.

**SED CONTRA** est, quod Boet. dicit in li. de tri. q. sola relatio in diuinis multiplicat trinitatem & Ansel. dicit in li. de processione spiritus sancti, quod ibi solum distinguantur personae diuine, ubi occurrit relationis oppositio: sed filius non opponitur relatione spiritus sancto filiatione, sed solum patri. ergo filius non distinguitur filiatione a spiritu sancto, sed solum a patre.

**R**ESPON. Dicendum, quod hoc modo se habet proprietates personales in diuinis ad distinguendum personas, sicut se habent in rebus naturalibus formae substantiales ad distinguendum species rerum, sic tamen quod a creaturis exempla ad Deum assumpta non omnino similia sunt. In rebus autem naturalibus distinguuntur aliquid per formam suam ab alio dupliciter. Vno modo, secundum directam oppositionem forme ad formam, & hoc modo distinguitur unaqueque res naturalis ab omni speciebus sui generis, que habent formas oppositas, secundum quod genus diuiditur oppositis differentiis, sicut saphirus distinguitur sua forma ab omnibus aliis speciebus lapidum. Alio modo distinguitur res naturalis per suam formam secundum habere & non habere, & hoc modo quod habet aliquam formam naturalem, distinguitur ab omnibus non habentibus formam illam, sicut saphirus per suam formam naturalem distinguitur non solum ab aliis generibus lapidum, sed a speciebus animalium & plantarum. Sic ergo dicendum, quod filius sua filiatione distinguitur quidem a patre secundum oppositionem relationem filiationis ad paternitatem, sed a spiritu sancto distinguitur filiatione, per hoc quod spiritus sanctus non habet filiationem quam filius habet.

Et per hoc patet responsio ad obiecta.

QVÆSTIO V.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum corpus Christi in cruce, & in sepulchro sit unum numero.

**D**EINDE quaesitum est de filio quantum ad naturam assumptam, & circa hoc quaesitum est, vtrum sit unum numero corpus, Christi affixu cruci, & iacens